SYMPATHIAE MORBOSAE RATIO QUA THERAPEUTICES MODERAMEN...

Girolamo Carchen

SYMPATHIAE MORBOSAE RATIO

QUA

THERAPEUTICES MODERAMEN

INAUGURALIS ANIMADVERSIO

QUAM

AD MEDICORUM JURA OBTINENDA

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE HABUIT

HIERONYMUS CARCHEN

BERGOMAS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXX

Morbos recte definire non nisi diagnoseos elementa in unum est colligere, ut prae oculis laesio in qua morbus consistit, absque ulla dubitatione, si possibile est, habeatur; neque sanas indicationes medendi ex ipso aegrotantis statu haurire unquam possumus, nisi recta sit aegritudinis cognitio, neque de curriculi gravitate, aut de pristinae sanitatis reditu autumare. Priusquam anatomes lux medicinae affulsisset, tempore, quo simplex inter brutorum corpora humano magis affinia, et humanum ipsum tantum instituebatur comparatio, inductione quoque simplici utebantur medici; quoniam vero morborum effectus illos latebant, prout cadaverum sectiones vetabantur instituere, morbos ipsos quoque mederi, fallaci cogebantur empyria, justaque laesionum definitio frustra desiderabatur. Posteaquam vero per anatomes pathologicae dictata, perque sanioris physiologiae principia

comparationem inter sanum aegrumque corpus instituere licuit, potuerunt quoqne veram morbi sedem a sympathiae morbosae phaenomenis recte sejungere, nova quoque lux medicinae claruit; et si in difficiliori aequa desit pathologici status cognitio, habemus quidem proximiora morborum fere omnium argumenta, quibus, nisi organorum quorundam laesionem, saltem systematum affectionem aegre haud intelligimus. Praestat id summopere facere, quam naturae diro diuturnoque morbo defatigatae difficilem, aut impossibilem potius curationem relinquere: quam ob rem difficiliorum morborum cognitioni valde conferre statuerunt symphatiae aut consensus morbosi legum investigationem, ut phaenomenis organi primitus affecti ab iis alius deuteropathice irritati, sejunctis, affectionis primariae notio magis elucescat, promptaque adplicetur medela. Sympathiae igitur morbosae rationem investigare nunc mihi erit, Professores sapientissimi; et quoad ejus facere potero, operam impendam, atque observantiae erga Vos, memorisque animi significationi me nunquam defuturum esse promitto.

Anatome et physiologia duce nobis notum est textus et organa humanum corpus componentia facultate quadam instructa esse, qua vivunt, quaque pars una ab alia distinguitur, proprietate sua et functione, quae ultima a pluribus partibus in unum collectis per intervalla aut motu perpetuo usque ad finem vi-

tae exinde originem sumit. Textus et organa nonnisi ab externis causis continuo incitarentur, vitam qua gaudent, nullo modo possidere possent; et ab hac extimarum potentiarum actione vim vitae, quae illis inest, exercentur, unde actio et renisus, vivendi rationem constituunt. Sola autem superficiei corporis externae, cutis, scilicet et organi visus incitatio minime ad vitam omnem exequendam sufficeret. Habetur quoque, per hiatus corporis naturales, potentiarum externarum ad interiora influxus, qui non nisi cutis continuitatem constituendo, sensus internos formant, viscerum parenchyma ingrediuntur, et, ut sensus externi, causarum pariter externarum actionem experiuntur. Causarum istiusmodi actio supra nervorum extremitates in membranarum superficie explicatur, quo fit ut filamentorum nerveorum directionem sequuta, ad nervosum ipsum systema transfertur: encephalum vero, ad quod pervenit, illam denuo per organa et textus distribuit, neque membranosa superficie interna excepta; unde haec ista et actionem causarum externarum, et cerebri influxum perpetuo patitur. Praeterea ex physiologia scimus, textus actionem, aut organi in qualibet organismi parte adauctam, ad aliam serius ocyus communicari, quam communicationem non nisi a nervorum systemate repetendo, transmissionem actionis ab uno ad aliud organon observamus, et hujusmodi phaenomenon *sympathiam aut consensum* nuncupare

solemus. Omnis igitur phaenomenorum organicae indolis compositio nervorum ope perficitur, et praesertim systematis intercostalis ope, quod incitationem alicujus partis ad aliam, longinquam etiam, perducit. Sed usque dum nutritio, potentiarum nocivarum amotio atque organica reproductio, sympathiae ope implentur, motus omnes vitales inde enati functiones organismi conficiunt, et status physiologicus, sanus nempe, habetur. Non ita vero res se habet, quando irritatio quaedam organica ab una ad aliam transmittitur partem. Verum est quod sympathiae morbosae, aeque ac illae status sani exequuntur, si modum tantum consideremus; sed verum quoque est incitationis aut irritationis modum sub morbosa conditione, vitae organicae legibus esse prorsus contrarium. Irritatio praeterea, quae, sub initio gradum minimum agnoscit, in aliquo systemate organico permanere potest, absque ulla ad aliud transmissione; quando vero sensim sensimque augetur, ad alia organa, et systemata longinqua etiam, transfertur; neque ob hanc communicationis rationem indole, qua pollet, destituitur. Haec est sympathia, nempe morbosa, quae hujus disceptationis argumentum constituit; quaeque autem nonnisi praemissis paucis physiologiae indiciis, intelligi poterat.

Duplex sympathiae morbosae genus a Pathologis admittitur, *organica*, nempe, *et relationis*, quae ultima *consensus* significationem

magis includit. *Organica* organicis prorsus phaenomenis, fibrarum nempe oscillatione, congestione, secretionum abnormitate, excretionibus, et resorptionibus morbose auctis, imminutis, vel abnormibus, neque non temperiei mutatione, nutritionisque vitiis explicatur. Sympathia *relationis*, aut melius *consensus*, dolore varii generis, musculorum voluntati inserventium spasmo, mentis aberratione multiplici aliisque id genus se se prodit, et istiusmodi sympathiam organica fere semper sequitur, cum e contra ista atque illa per se existere queat.

Contingunt vero in praxi exempla nonnulla, in quibus duplex hoc sympathiarum genus sejungi potest; sunt nempe morbi acuti, cujus diuturnum curriculum a neglecta sub primis diebus curatione repetendum est; et sunt generatim illi, qui ob multorum organorum defatigationem universales nuncupari solent, et soboles duplicis sympathiae generis considerantur et sunt.

Quod maximi interest in sympathiarum consideratione, earum frequentiam, aut numerum, gradumque respicit, quibus diagnoseos fundamenta et therapeutices normam haurire possunt Clinici.

Multiplicantur sympathiae sub morbi processu irritationis organicae, et habitus irritabilis aegrotantis ratione perspecta; e contra aut si levis sit organi cujusdam irritatio, neque valde sensilis individuus, minus proba-

bilis est sympathiae evolutio. Ita observamus sub diuturno nervosi morbi sic dicti processu phaenomena proteiformia exoriri. Et in faeminis potius quam in maribus eminentiora, eo quod major, sexus sequioris, sensilitas, patet, praesertim quando gangliorum systema inferiore polleat virtute; gravitas quoque processus morbosi frequentiam et vim auget sympathiae; id quod praesertim in morbis exanthematicis, acutis, in febribus (ut dicunt) ataxicis, adynamicis confirmatur summopere, ubi nempe systematis gastro-enterici inflammatio ad exitum lethalem vergens, vitae animalis systema multimodis irritat, et hallucinationes, vaniloquia, comata, deliria, aliaquae id genus promovet. Hic vero distinguendi sunt effectus sympathiae *organicae* ab illis sympathiae *relationis*, quamvis, ut antea monuimus, duplex sympathiarum ratio frequenter in acutis affectionibus sejungi minime queat. Sympathiae *relationis* excessus, et numero, et actione ad vitam penitus extinguendam frequenter nimis sufficit; haec autem extinctio hoc in casu a centri organicae relationis decompositione, ut videtur, pendet. Sympathiarum etiam organicarum effectus rapidam instantem mortem parere potest, sed mors quae contigit, a congestione et a destructione plurium viscerum repetenda est. Congestionis et destructionis organicae processus solum organon et unicum interdum afficit, quod morbosae irritationis protopathiam in se alit, et organa, quae

ab hac causa primaria sympathice labuntur, irritationem ejusdem gradus generatim non sentiunt, ut possint congestionem organi primarie, affecti imminuere, decompositionis processum huc illuc distribuendo. Dantur vero aliqui casus, in quibus organa sympathice irritata majorem quam non habet organon primarie affectum, irritationem contrahant; sed hoc in casu et sedem morbi mutare debet, alioque nomine insigniri; quando vero hoc contingat, fit ille processus, qui *metastaseos* nomine a pathologis designatur, et tunc organon in quo metastasis haeret, novas denuo sympathias in aliis affinibus promovet, quo morbi mutatur aspectus, quamvis affectio primaria et istius effectus minime penitus extinguantur. Possunt hae sympathiae noviter enatae dominium quoque usurpare; quod probant inflammationes illae, quae nunc in uno, nunc in alio organo producuntur, quaeque nonnisi irradiationis processus veluti effectus recensendae sunt. Huic argumento addendi sunt processus illi, qui sub crisium specioso nomine a medicis designantur, quippe qui nonnisi ab irritationibus sympathicis originem trahunt. Crises enim locum habere possunt, quando sympathicae irritationes a visceribus praecipuis prodeuntes in organa peripheriae agunt, secretoria nempe, et exhalantia; et hisce in textubus majorem acquirunt vim, quam centrum irritationis possideat, et modo viscera cavitatum primarie affecta irritatione

liberantur, quae, ab internis ad externa prodiens morbi solutionem feliciter parit. Vocabatur olim hic processus per *diadochen.* Si e contra ab externis ad interna irritatio procedat, falsa haec crisis audit, et morbi exasperationem inducit. Hae omnes irritationes sympathicae, quae crises producunt *sympathiae organicae* audiunt. Sympathiae enim *relationis* morbum magis exasperare queunt, quam crisim promovere. Ex hisce dictis elucescit quam intersit sedem morbi primariam ab irradiationis phaenomenis distinguere, praesertim quando haec fortiora sint, ut idiopathiam simulent, et quautum nocere possit curandi methodus, si morbi sede primaria neglecta, ad organa sympathice affecta incaute dirigatur. Verum est quod interdum, uti nuperrime diximus, sympathiae phaenomena latiora idiopathiam in alio organo efformare valent, et tunc methodum efflagitare sibi opportunam; sed verum quoque est organon prius irritatum, quamvis irritationem majorem in alio per sympathiam producat, et morbi processu sese pro majori parte liberet, sanitati nequaquam restitui; nec minus integra vivendi ratione pollere, ut penitus negligi mereatur. Sed ad praxim generalia haec pathologiae principia convertamus.

Posuimus antea, quando de sympathiarum characteribus loquuti sumus, *organicas,* motus fibrarum textus componentium augmento, congestionibus, secretionum, exhalationum,

resorptionum incremento, imminutione, degeneratione, nec non temperiei vicissitudine, nutritionisque vitiis explicari. Haec enim phaenomena vitae vegetanti tantum addicta, *organica* penitus dici merentur. Nemo certe negabit, has omnes turbas quaelibet organa, in quibus fiunt, afficere, modo quo si morbus radicem suam primarie fixerit in ea, similia eademque ipsa observarentur phaenomena. Sed male prorsus munus suum medicus exerceret ille, qui cerebri congestionem ab hepatis, vesicae urinariae, splenis, aliorumque viscerum inflammatione obortam pro encephalitide (cujus symptomata aliquando inexpertos fefellit) curaret, et phlogosim primariam in organo, quo latet, negligeret; qui secretionem vicariam menstruationis, urinae, lactis in organo quo contigit, pro idiopathica retineret, et uterum, renes, mammas naturae relinqueret; qui icterum a morbo hepatis enatum in cute, minime vero in hepatis glandula, ubi praecipua adest irritatio, videret; qui vomitum a capitis vulnere, vel concussione obortum pro ventriculi affectione acciperet; sensationem frigoris in primo intermittentium stadio pro alia causa non intellexerit; et alia hujusmodi, quae si locum, ubi apparent, revera habuissent, inversam prorsus medendi methodum exposcerent.

Fatendum tamen est, non raro ex symptomatum serie perspecta difficile esse discrimen inter morbum primarium et sympathicas af-

fectiones statuere; sed causarum praecipuarum investigatione exacte instituta, dispositione aegrotantis cognita, morbis praegressis indagatis, vitae genere, et quadam symptomatum sedis morbi praepollentia, quae non nisi accurata medici attentione detegitur, nequaquam difficile erit, nisi diagnosin certam, suspicionem saltem alius morbosi processus enasci, quibus, noxia medendi methodus a prudenti medico nequaquam usurpabitur.

Minorem certe difficultatem includit sympathiarum *relationis*, vel *consensus* distinctionem a morbi sede rectam habere; nam in morbis praesertim acutis non tam prompte sub morbi initio nascuntur, et tempus concedunt medico, ut diligenti indagine morbum primarium agnoscat, et curet. Hujusmodi sympathiae phaenomena, dolores sunt, musculorum voluntati inservientium spasmi, mentis aberrationes, hallucinatio scilicet, deliria furiosa, et placida, aliaque id genus; quae si a causa locali ab organo nempe, quo locum habent, pendeant, paulo post causae irritantis actionem vulgo quoque observantur. Vidimus enim in febris sic dictae nervosae incrementi stadio cephalalgiam diram, prope akmen curriculi artuum tremores, et convulsiones; in akmine delirium, comata, lethargum; dum in prodromis, morbi invasione etiam progrediente, phaenomena jam gastrica observavimus, quae pro idiopathica systematis gastro-enterici affectione desumpta, potuimus sub initio felici-

ter imminuere, et sympathiae *relationis* phaenomena praecavere; quod si e contra procedat morbus, et signa relationis occurrant, non neglecta morbi sede primaria, symptomata secundaria quoque curare licet, ne irritatione systematis nervosi progrediente, et una cum sympathiae organicae signis conjuncta, congestio lethalis resurgat, quae idiopathicam affectionem irreparabili jactura pariat.

Aeruminosa profecto in chronicis affectionibus sympathiae *organicae* et *relationis* observatur conjunctio, ubi scilicet inflammatio profunda cujusdam visceris ad aliud transfertur, illic sedem figit ex diuturna irritatione, nec sedem primariam adeo relinquit, ut prius affectum viscus in integrum restituatur; et deinde systemate nervoso multifariam irritato, novam quotidie aberrationem censemus non diu quidem vincendam, uti plures maniae species, spectaculum miserrimum in hospitiis infelicibus pie dicatis quotidie offerunt: in hisce luctuosis affectionibus magis, quam in aliis medicorum eminet perspicientia, acumen. Relictis enim in hisce casubus profani vulgi praejudiciis, medicus attente inquirit causarum praesertim ratione perspecta, ubi prima morbosa irritatio incoeperit, eam sequi necessario sibi suadet per omnes, quas exhibuerat, phases, consensum paullatim detegit; et aethiologica curatione prudenter adhibita, non rarum est, dirissimas hujusmodi affectiones nisi integre, saltem pro maxima parte debellatas fuisse,

omnimode sanationis spe spatio temporis decurrentis non relicta. Summo Franco-Galliae medico cel. Ph. Pinel magis exacte mentis alienationum debetur cognitio; auctor enim iste maniae sedem in systemate gastro-enterico collocavit, et hoc irradiationis centro praefixo, encephali perturbationes derivandas esse monuit; quamvis ille non tam felix in curatione fuisset, melior tamen ab illo tempore infelicium hujusmodi conditio fuit, et loco barbarae pertractationis antiquitus adhibitae, philantropiae lux huic aegritudini divinitus affulsit. Studiis postea *Esquirol*, *Georget*, *Gall*, *Spurzheim*, *Bayle*, *Calmeil*, *Guerin de Mamers*, *Foville*, *Pinel Grand-Champ*, *Falret*, *Delaye*, *Broussais*, *etc.* illustrationem maniae genesis debemus, et rationalem curandi methodum, cui felix exitus, qui in praesens adhuc obtinetur, est tribuendus; Caeteroquin vero, nisi magis attenta physiologica meditatio tales affectiones haud illustraret, et sympathiarum ludum recte non detexiset, adeo incertus haereret medicus in hisce morbis curandis, et rudis empiria imperium suum adhuc exerceret. Sed alia praeterea ratio est sympathiae *organicae* et *relationis* effectus investigandi, clinicis praecipue utilissima, qua hominis *dexteri* et *sinistri* morbosae distinguuntur affectiones, et inter hominis sani atque aegrotantis habitum discrimen deducitur. Scimus paralyses, quae ab encephali laesione originem ducunt in la-

tere corporis, morbi sede opposita manifestari, et in eodem latere, quo morbus sedem figit, apparere, si quando medulla spinalis pariter afficiatur.

Quamvis vero in primo casu ex originis, vel finis nervorum decussatione phaenomenon pendeat, quod in secundo contingere nequit ob nullam surculorum nerveorum in medulla spinali decussationem; facile tamen observare possumus, quomodo per *consensus* leges pars quoque illaesa alius lateris affectionem alterius, etsi leviter, participet. Caeteroquin vero oculus inflammatione, cataracta, aut glaucomate correptus alium sanum plerumque in consensum trahit; neque rarum est auditus quoque affectiones ab una ad aliam aurem, internam praecipue, communicari.

„ Sanus homo, qui et bene valet, et suae „ spontis est „ habitum quemdam in corporis totius superficie observanti praebet, quo sanitatis norma desumitur. Cutis, ipsiusque ornamenta, colorem servant a natura donatum, motus musculorum externus energia gaudet, respiratio regulari modo perficitur; sed quae, inter externas regiones characterem specificum praebet, facies ipsa est, ubi sicut intimae constitutionis speculum, quae intus latent, non tamen sine difficultate, aliquando conspicimus: et sicuti moeroris, tristitiae, metus, gaudii, pudoris, iracundiae signa ex variis faciei contractionibus, ex oculis, naribus, labiis utcumque colligimus, risus et fle-

tus indicia deducimus; ita morbosas alicujus organi interni laesiones ex ipsissimis characteribus argumentamur; neque frequens sane est sagacioris medici error. Describimus enim habitum impetiginosum, aut psoricum ex cutis scabritie, siccitateque; habitum gastro-entericum ex faciei collapsu, quem dicimus abdominalem specificum; chloroticum ex cutis colore flavo-viridi et laxitate; scorbuticum, hepaticum, scrophulosum, spasmodicum, phthisicum, apoplecticum, aliaque istiusmodi, quin generatim loquendo dubium nobis remaneat; id quod ab exitu confirmatum habemus. Est quoddam empyricum observandi genus provectioribus non paucis in Arte Medica commune, quod communicari non potest, prodiens ex praxi exque felici naturali conditione quae medicos perficit! Sed si diligenter varias morborum physiognomias consideremus ex *organicis* sympathiis et *relationis*, omnes pene deducimus; quod ut apprehendamus, intelligere sufficiat, quod statim ac organon quoddam detinetur, functionis suae exercitium mutatur vel etiam suspenditur, organa affinia in consensum trahuntur, et in facie ubi dolor, et laetitia aliquo modo observantur, specificum distinguimus characterem.

Hocce argumentum magni certe in praxi faciendum, intra limites hujus disceptationis contineri repugnat; quam ob rem praecipua tantum exponere mihi licuit.

Varia tandem habemus in classico opere

Prosp. *Alpini de praesagienda vita et morte „ aegrotantium;* in illo „ *de praesagiis vitae et mortis* Christiani *Vater,* inque aliis istiusmodi observationibus innixis, quae sympathiarum rationem quanti faciendam sit, luculenter confirmant: *Aphorismi, coacae praenotiones, praedictiones, prognostica* summi senis, et *Auli Cornelii Celsi faciei Hippocraticae* descriptio in Lib. II. § VI. *De mortis indiciis* amplissimam fidem faciunt.

Aliqua nunc mihi dicenda forent de statu hominis psychico in morbis, ut sympathiae *relationis* argumentum perficiam, praesertim quando animi affectionis signa in vultu adnumeranda sint; sed quum cogitarem, difficilem et spinosum esse psychologiae callim, eum medicis doctioribus et provectis in rebus metaphysicis lubenter relinquam. Arduum enim foret, juvenem candidatum arcana contendere!

Concludam itaque:

1. Sympathiae *organicae,* aut *relationis* leges, a clinico cognoscendas esse, ut diagnosis recte procedat;

2. *Organicas,* illis *relationis* praeexistere tam statu physiologico, quam pathologico;

3. Sympathias *organicas,* et *relationis* conjungi, et disjungi posse;

4. Et unas et alias mortem per se minari, quando irritationis apicem attingunt;

5. In chronicis affectionibus ut plurimum confundi.

6. Therapiam juxta sedem morbi primarii, sed sympathiae quoque ratione habita moderandam esse.

7. Ex numero, gradu, actione sympathiarum prognosim veram proficisci.

IN THESES SEQUENTES DISPUTABITUR

I.

Morbi cujusdam distinctioni necessaria est prius status physiologici cognitio, pathologici postea.

II.

Ens pathologicum febris *absque alicujus generis organica laesione nusquam admittendum.*

III.

Causas externas quibus morbus producitur, si possibile est amovere, est primam et veram curationis paginam absolvere.

IV.

Morbum in universo humano corpore excogitare novum foret hominem supponere.

V.

Specifica remedia dari rationaliter nequeunt.